

8.28.15

*Idem AA. et CC. Avianae.*

Obligatis pignori mancipiis a creditore distractis ac traditis si post debitor quondam haec sollicitaverit, non venditori, sed emptori contra possidentem in rem competit actio.

*D. k. Mart. Sirmi CC. cons.*

[a. 294]

8.28.16

*Idem AA. et CC. Silvano.*

Unus ex multis debitoris qui pignora tradiderat heredibus, quod ab eo personali actione peti potuit, solvendo res obligatas distrahendi creditori facultatem non ademit.

*S. III non. April. CC. cons.*

[a. 294]

8.28.17

*Idem AA. et CC. Agapae.*

Rei creditor obligatae generali sivi speciali conventionem per creditorem alium, cui non fuerat nexa, venumdatae non amittit persecutionem.

*D. prid. non. April. CC. cons.*

[a. 294]

8.28.18

*Idem AA. et CC. Gaiano.*

Qui a creditore pignori obligatum iure emit, de proprietate vinci non potest.

*Subscripta VI k. Mai. CC. cons.*

[a. 294]

8.28.19

*Idem AA. et CC. Liviae.*

Si maritus tuus mutuum, licet tuam, dedit pecuniam, eorum, quae pignoris titulo accepit, si ei non successisti, distrahendi nomine tuo nullam habes facultatem.

*S. VI id. Nov. Heracliae CC. cons.*

[a. 294]

8.28.20

*Idem AA. et CC. Sabino.*

Secundum placiti fidem, si nihil convenit specialiter, pignoribus a creditore maiore quam ei debebatur pretio distractis: licet ex eo fundus comparatus sit, non super hoc in rem, sed in personam, id est pigneraticia, de superfluo competit actio.

*S. IIII id. Nov. Byzantio CC. cons.*

[a. 294]